Ordinis Philosop

in

Vniuersitate literarum Vi

h. t.

Decanus

Iulius Fridericus

Philosophiae Docto
Moralium et Ciuilium Professor publi

Solemni

summorum in Philosophia honorum

in a. d. XVII. Octobr. cIↃ

indicit.

De philosophia morali in libro Sapientiae,
Salomonis exposita.

Vitebergae,
literis Christiani Henrici Grä
academ. typogr.

osophici

m Vitebergensi

n u s

cus Winzer

Doctor,

or publicus ordinarius

n i a

norum conferendorum

br. cIↃIↃcccxi

---

apientiae, quae vocatur,
posita.

g a e,

rici Grässleri

ogr.

P r o o e m i u m.

Ex quo, labefactatis et derelictis opinionibus temere quondam captis, viri docti et eruditi de pretio libris V. T. apocryphis statuendo iustiorem atque aequiorem ferre coeperunt sententiam, vti in reliquos, ita inprimis etiam in *librum*, qui *Sapientiae Salomonis* nomine venit, legendum, cognoscendum, explicandum, diiudicandum, multam illos operam, magnum studium contulisse, constat. Nolo equidem copiosius nunc repetere, quae de auctore huius libri [1]), de tempore et

1) Salomoni non assignandum esse Sapientiae librum, quam sententiam praeter alios quosdam, quos *Cornelius a Lapide* in *Commentar. in Libr. Sap. p.* 2. et *Hottingerus* in *Thesaur. philol. p.* 517. laudarunt, propugnandam suscepit *Nicol. Hieronym. Gundlingius* (in *Obseruationib. Halens. Tom. V. Obs.* 13; cf. *Eiusd. Hist. philos. mor. Part. I. p.* 73. et, quae scripta est aduersus eum, *Laurentii Reinhardi dissertatio, qua, librum Sapientiae non esse canonicum, neque a Salomone conscriptum, probatur. Viteb.* 1719. 4.), dudum inter viros doctos conuenit. Hinc alii Philonem quendam seniorem (quanquam non eum, quem πρεσβύτερον vocauit *Iosephus contra Apion. Lib. I. cap.* 23.) libri huius auctorem fuisse contenderunt. Cf. *Gottl. Wernsdorfius* in *Diss., quod Liber Sapientiae et Ecclesiasticus pro canonicis non sint habendi, contra G. Arnoldum. Viteberg.* 1702. — *Petrus Daniel Huetius* in *Demonstrat. evangel. Part. I. prop. IV. p.* 359. — *Io. Francisc. Buddeus* in *Introduct. in philos. Ebraeor. p.* 61 *sq.* et in *Histor. Ecclesiast. vet. Testam. Tom. II. p.* 647 *sqq.* et *p.* 1191 *sqq.* — Alii ad Philonem iuniorem, seu Alexandrinum, retulerunt; quorum nonnullos indicauit *Christian. Kortholtus* in

loco, quo sit confectus [2]), de argumento, quod in eo pertractatum sit, primario, et de consilio, quo scripserit au-

Tractat. de canone scripturae cap. XIII. p. 278 *sqq.* Add. *Rainoldi censur. libror. apocryph. V. T. Oppenheim,* 1611. *p.* 176. — *Daniel. Salthenii Diss. de auctore libri Sapientiae Philone potius Alexandrino, quam seniore. Regiom.* 1739. et *Ioan. Gerhardi Locc. theoll. Tom. II. p.* 160 sqq. *ed. Cottae.* — At enimuero neque huius sententiae veritatem demonstrari, nec, quis verus ac genuinus fuerit auctor, omnino probari posse, monuerunt ex antiquioribus *Ludovic. Capellus* (in *Commentar. et not. critic. in V. T. Amstelod.* 1689. *fol. p.* 562 *sqq.*), *du Pin* (in *Dissertation preliminaire, ou Prolegomenes sur la Bible, Amsterd.* 1701. 4. *p.* 107. *et August. Calmet* (in *Prolegom. et dissertatt. in omnes et singulos sacr. script. libros, Lucae,* 1730. *fol. p.* 454.); ex recentioribus *Ioan. Frid. Kleuker* (in libro: *Salomonische Denkwürdigkeiten. Als Anhang das Buch der Weisheit übersetzt und durch Anmerkungen erläutert, Riga,* 1785. 8. *p.* 170.), *Ioan. Godofr. Hasse* (in libro: *Salomo's Weisheit neu übersetzt mit Anmerkungen und Untersuchungen, Ien.* 1785. 8. *p.* 215.), et inprimis *Ioan. Godofr. Eichhorn* (in libr. *Einleitung in die apokryphischen Schriften des alten Test. Leipz.* 1795. 8. *p.* 162 *sqq.*). Proinde nec fides habenda erit *Ioan. Melch. Fabero,* qui (in *Prolusionib. X. super Libro Sapientiae, Onoldi,* 1776 — 1789. 4.), hunc librum a Zorobabele fuisse scriptum, probare conatus est, et quem, post *Hassium* (cf. *lib. laud. p.* 212 *sq.* et *Magazin für die biblisch-orientalische Literatur u. gesammte Philologie, Part. I. Königsb. und Leipz.* 1788. 8.), acriter impugnauit *Eichhornius lib. I. p.* 186 — 192.

2) *Grotius* (in *Prolus. ad Libr. Sap.*) post tempora Esdrae, priusquam Simon exstiterit pontifex, exaratum esse contendit; *Cornelius a Lapide* ad Ptolemaei Philadelphi tempora, *Calmet* vero ad tempora post Antiochum Epipha-

ctor [3]), de lingua, qua fuerit vsus [4]), porro de partium, quibus libellus constare videtur, singularum diuersitate ac numero [5]),

nem retulit, quod ipsum non improbabile duxit *Ioan. Iahn* (in libr. *Einleitung in die göttlichen Bücher des alten Bundes, Tom. II. Part. IV. Viennae*, 1803. 8. *p.* 946. *ed. sec.*); *Kleukerus* (*lib. l. p.* 176.) omnino Ptolemaeorum aetate auctorem in Aegypto vixisse statuit; *Hassius* (*l. l. p.* 208 *sqq.*) eundem circ. 200. ann. ante Christ. nat. Alexandriae versatum esse monuit; *Eichhornius* pariter Aegyptum eius patriam dixit, sed tempus scriptionis in dubio reliquit. Denique *I. C. C. Nachtigal* (in libr. *Die Versammlungen der Weisen, Vol.* 2. (contin. *das Buch der Weisheit, als Gegenstück der Koheleth*) *Hal.* 1799. 8. *p.* 32 *sqq.*) posteriore parte saeculi secundi ante Christ. nat. librum probabiliter scriptum esse affirmauit, sed, num in Aegypto, an in Palaestina fuerit compositus, non certo definiuit.

3) Cf. *Ioan. Henric. Heideggeri Enchirid. Biblic. Ien.* 1723. 8. *p.* 328. *ed. quint. Kleukerus l. l. p.* 166 *sqq. Hasse l. l. p.* 217 *sqq. Eichhorn l. l. p.* 88 *sqq.*

4) Alii nempe ex idiomate Ebraico aut Syriaco conuersum fuisse, alii Graecae originis esse, tradiderunt. Cf. *Fabricii Bibl. Graec. Vol. III. p.* 729. *ed. Harles. Hasse l. l. pag.* 238 *sqq. Eichhorn l. l. pag.* 197 *sqq. et Nachtigal l. l. p.* 18 *sqq.*

5) Non vnam eandemque esse partium huius libri singularum rationem, quanquam interpretum antiquiorum nonnulli iam professi sunt, fusius tamen et subtilius declarauit *Eichhornius*, qui a capitis XI. commate 2. nouum incipere libellum, siue ab eodem, quo prior, siue ab alio quodam philosopho Iudaico fuerit confectus, demonstrare studuit. Ab eius sententia recessit *Nachtigal*, qui, Sapientiae librum pluribus iisque diuersis, diuersorum etiam auctorum et temporum, disputationibus, serius demum coagmentatis, constare, ingeniose quidem et acute, sed argumentis, nisi fallor, non satis fir-

denique de dignitate ipsius et praestantia [6]), homines antiquae memoriae et recentioris aetatis non vno modo disputarunt. Id potius apud animum constitui, vt *philosophiae moralis*, in hoc libro traditae, *placita et praecepta*

mis atque idoneis vsus, probare conatus est. Cf. *Ulric. Andr. Rohde de veterum poëtarum sapientia gnomica, Hebraeorum maxime et Graecorum. Hafn.* 1800. 8. Aliam denique rationem iniit *Car. Gottl. Bretschneider* (in *Diss. de Libri Sapientiae parte priore Cap. I—XI. e duobus libellis diuersis conflata. Part. I. II. III. Viteberg.* 1804. 4), qui in eo maxime elaborauit, vt, capita libri nostri vndecim priora, quibus Eichhornius partem dixerat constare primam, duas potius efficere partes, ostenderet. Quam quidem Viri eruditissimi multisque mihi nominibus carissimi coniecturam diligentiore, quam adhuc experta est, examine dignissimam me iudicare, eo lubentius profiteor, quo magis, in explicandis locis huius libri singulis aliter, atque illum, me iudicare, fortassis apparebit. Quidquid vero sit, hanc nobis veniam datum iri speramus, vt, distinctionum illarum tanquam immemores, in iis, quae sequentur, vnius tantum auctoris mentionem faciamus, siquidem res ea, quam cum maxime tractandam suscepimus, a sententiarum de diuersis huius libri partibus et auctoribus veritate non modo non pendet, verum etiam ad eam vel confirmandam vel labefactandam aliquid momenti adferre posse videtur.

6) Librum Salomone dignum, nec cum vllo quocunque scripto humano comparandum, vocauit *Ioan. Gregorius*, Anglus, (in *Praefat. ad Obseruationes in aliquot sacr. script. loca*) eumque praestantissimum esse lectuque ac memoria dignissimum, statuit *Fabricius* (in *Bibl. Graec. T. III. p.* 728. *ed. Harles*). Add. amiciss. *Poelitii* libr. *Pragmatische Uebersicht der Theologie der spätern Juden. Part. I. Lips.* 1795. 8. *p.* 261. *Eichhorn. l. l. p.* 94 *sqq.* et *Nachtigal l. l. p.* 41 *sqq.*

breuiter exponam. Cuius disputationis, si recte fuerit instituta, multiplex esse poterit vsus, cum ad iudicium de huius ipsius libri indole et auctoritate regendum, tum ad soluendas quaestiones de vestigiis philosophiae Medo-Bactrianae [7]), Platonicae et Alexandrinae, in eo obuiis, passim quidem agitatas, nondum tamen satis excussas [8]), tum vero etiam ad doctrinam de officiis in libris N. T. propositam cum praeceptis et regulis iis diligenter comparandam, quibus, quid honestum et iustum sit, quid faciendum, quid omittendum, in hoc libro nostro docetur. Et quamquam in explicando argumento eodem nuper ita versata est nonnullorum cura ac diligentia, vt non parum ei lucis adlatum esse appareat [9]):

7) Hoc potius, quam philosophiae aut religionis Persicae, nomine appellandam esse doctrinam a Zoroastre traditam, patet ex iis, quae nuper exposuit *A. H. L. Heeren* in libr. *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt, Vol. I. Götting.* 1805. 8. *p.* 497 *sqq. ed. alt.*

8) Cf. *Bruckeri Diss. de vestigiis philosophiae Alexandrinae in libro Sapientiae;* in *Miscellan. Berolin. Tom. VI. p.* 150. Add. *Eiusd. Histor. crit. philos. Part. II. p.* 693 *sqq.* — *Grimm Etwas von der Alexandrinischen Philosophie und deren Spuren im Buche der Weisheit. Annaberg.* 1773. 4. — *Hasse l. l. p.* 224. — *Flügge Geschichte des Glaubens an Unsterblichkeit, Vol I. p.* 144 *sqq.* — *Pölitz l. l. p.* 260. — *Eichhorn l. l. p.* 100 sqq.

9) Cf. *Carol. Frid. Stäudlin Geschichte der christlichen Sittenlehre, Vol. I. Götting.* 1799 8. *p.* 362 *sqq.* — *Io. Dan. Schulze Abhandl. über die Beweggründe zur Tugend im alten Testamente, und in den apokryph. Büchern desselben;* in *Henke's neuem Magazin* etc. *Vol. VI.*

idem tamen facturi non veremur, ne peritorum hominum vituperationem subeamus, siquidem plura deprehendisse nobis videmur, quae vel ab illis omissa, vel ad liquidum nondum perducta, vel ita sunt exposita, vt calculum iis album adiicere dubitauerimus. Itaque quo facilius eorum, quae hic in censum veniunt, summa possit comprehendi, disputationis nostrae tres faciamus partes. Primum nempe, quae *de natura virtutis eiusque ambitu*, deinde, quae *de honestatis seruandae praesidiis, viis ac modis*, denique, quae *de rationibus et causis, cur virtus appetenda sit et sectanda,* in Sapientiae libro exposita legantur, quaeramus, ita quidem, vt, si non omnia ac singula, potiora saltem et grauiora, quoad huius libelli patiuntur angustiae, complectamur.

Part. I. p. 40 sqq. — Georg Lorenz Bauer biblische Moral des alten Test. Vol. II. Leipz. 1803. 8. *p.* 392 *sqq. — Carl Gottl. Bretschneider systematische Darstellung der Dogmatik und Moral der apokryphischen Schriften des alten Testamentes, Vol. I. die Dogmatik enthaltend, Leipz.* 1805. 8.

Cap. I.

De natura et ambitu virtutis.

Quam virtutis honestatisque notionem mente conceperit auctor, qualem cogitauerit indolem eius veram propriamque naturam, et quam late dixerit patere campum illius et fines, vt luculenter et certo perspicere valeamus, id maxime nobis erit agendum, vt vocabula loquendique formulas, ab ipso hac in re vsurpatas, sedulo inuestigemus, et, qualis sit, in locis singulis, earum vis et potestas, orationis contextae sententiarumque ordinis ratione diligenter habita, quaeramus. In quo quidem ita versabimur, vt virtuti contraria quoque respiciamus, adeoque, qualem, ex parte priori opposita, improbitatem et vitiositatem descripserit auctor, simul exploremus. Iam vero verborum cum singulorum tum plurium, quae ad designandas et describendas notiones istas adhibita reperiuntur, duplex est genus, quorum alterum ad *probitatem* et *improbitatem omnino* refertur, alterum *virtutes* et *vitia singula* spectat. Prioris generis pariter duplex interdum est ratio; sunt enim locutiones cum *propriae*, tum *impropriae*, s. *translatae;* de quibus omnibus deinceps videbimus.

Quod primum igitur *virtutem omnino honestatisque studium* attinet, *propria*, quibus vsus est Noster, vocabula sunt haec: ἡ ἀρετη IV, 1. V, 13. VIII, 6; τα ὁσια, *quae deo pro-*

bantur, VI, 10; τα ἀγαθα VIII, 9; νȢς ἀκακος IV, 12; το ἀρεϛον ἐν ὀφθαλμοις τȢ θεȢ, και ἐυθες ἐν ἐντολαις ἀυτȢ IX, 9. 10; ὁλοκληρος δικαιοσυνη, *virtus integra, non corrupta*, XV, 3. *Impropria* vocabula leguntur haec: παιδεια, quae vox, licet alibi *disciplinam* et *institutionem*, alibi *veritatis cognitionem* denotet, nonnunquam tamen *virtutis* ipsius notionem inuolvit; cf. I, 5 (vbi Spiritus S., vtpote qui virtutis studium in animis hominum gignit, ἁγιον πνευμα παιδειας vocatur); III, 11. VI, 17. VII, 14; πιϛις, III, 14 (vbi tribuitur hominibus iis, qui *flagitiorum turpitudinis* sunt immunes); φρονησις IV, 9 (quam vocem, aliis in locis sensu proprio eoque strictiore dictam, hic innuere *rectam sentiendi agendique rationem*, patet ex eo, quod vocabula βιος ἀκηλιδωτος, *vita vitiorum maculis non adspersa*, tanquam synonyma leguntur adiecta); porro τα καλα, *quae in vita et actionibus humanis bona sunt et honesta*, IV, 12. X, 8; ἡ ὁδος ἀληθειας V, 6; το της δικαιοσυνης φως, ibid.; ἡ ὁδος κυριȢ V, 7; σοφια VI, 9. *sapientia, in moderandis et regendis animi cupiditatibus, consiliis, moribus occupata* (cuius explicationis veritas probatur ex iis, quae v. 17 leguntur, vbi, quibus in rebus cernatur et quomodo se exserat illa, docetur); φροντις και ἐπιθυμια σοφιας, *sapientiae desiderium eiusque assequendae studium*, VI, 17. 20; denique τηρησις και προσοχη νομων σοφιας, *sapientiae legum obseruatio*, VI, 18. Ipsi vero *homines, qui ad virtutis studium incumbunt*, appellantur δικαιοι V, 1. 3. 15. X, 15 (de quo nomine, sensu plerumque strictiore ab auctore vsurpato, mox plura dicendi opportunitas dabitur); et, *qui sapientiae virtutisque capiunt fructum*, παιδευεσθαι

dicuntur VI, 11. — Quae *contraria* sunt *virtuti honestatisque studio*, exprimuntur *proprie* vocabulis: ἡ κακια II, 21. IV, 11. V, 13.[10]) XII, 2. 10; τα πονηρα III, 14; ἡ πονηρια IV, 6. 14 (quam vocem et ipsam alibi sensu strictiore vsurpatam deprehendemus); φαυλοτης IV, 12; ἁμαρτηματα IV, 20. XI, 23; ἀνομηματα III, 14. IV, 20; ἡ κακοπραγια V, 23; ἡ ἀνομια V, 23; ἡ ἀφροσυνη et ἡ ἀφροσυνη ζωης X, 8. XII, 23. *Impropria* vocabula sunt: λογισμοι ἀσυνετοι, *consilia praua et peruersa*, I, 5; πλανη ζωης et πλανης ὁδοι, *consuetudo et ratio vitae, ab honestate remota*, I, 12. XII, 24; παραπτωμα i. q. ἁμαρτημα, *flagitium*, III, 13; τριβοι ἀνομιας και ἀπωλειας, *ea sentiendi agendique ratio, quae, legibus repugnans, perniciem parat*, V, 7; denique ἐρημοι ἀβατοι, *vita peruersa, molestiis et periculis plena* V, 7. *Homines* autem *improbi* dicuntur γενεα ἀδικος III, 19; ἁμαρτωλοι IV, 19; ἀφρονες V, 4; παραφρονες V, 20; ψυχαι ἀπαιδευτοι, *homines, qui disciplinam non admittunt*, XVII, 1; iisque tribuitur ψυχη κακοτεχνος (siquidem *praua moliuntur*) et σωμα

10) Quam late h. l. pateat vocab. κακιας, ex oratione intelligitur contexta. Complectitur *derisionem* et *oppressionem hominum bonorum* (v. 1 et 3), *superbiam* et *arrogantiam e diuitiarum multitudine ortam* (v. 8), omninoque *aberrationem a lege diuina virtutisque praeceptis* (v. 6 et 7). Est autem sensus vocabulorum, quae in hoc commate leguntur, ἐν τῃ κακιᾳ ἡμων κατεδαπανηθημεν, vel ita constituendus: *animi morumque nostrorum prauitas effecit, vt consumeremur* (i. q. praec. ἐξελιπομεν), vel sic: *prauitati dediti fuimus ad illud vsque tempus, quo morte sumus absumti.* Minus accurate reddiderunt *Kleukerus* et *Hassius*.

καταχρεων ἁμαρτιας, *corpus peccatis obnoxium et veluti mancipio datum*, I, 4 (cuius lectionis exstat similis *Rom.* VII, 14 vbi Paulus Ap. semet ipsum, vtpote hominem, πεπραμενον ὑπο την ἁμαρτιαν esse profitetur). Iidem dicuntur ἐργαζεσθαι ἐν χειρι ἀνομημα, και ἐνθυμεισθαι κατα τȣ κυριȣ πονηρα, *quod a legibus abhorret diuinis*, *animo versare factisque exercere*, III, 14; ἐξȣθενειν σοφιαν και παιδειαν, *despicere sapientiam et probitatem* (aut, *sapientiam*, *quae virtutem gignit*), III, 11. coll. I, 5; et παροδευειν σοφιαν, *sapientiam negligere*, X, 8; porro παραπιπτειν, *a veritate et iustitia deflectere*, VI, 9. XII, 2 (i. q. ἁμαρτανειν hoc ipso commate), XV, 2; σφαλλεσθαι, *labi*, X, 8. Addi possunt, quae de hominibus improbis vniuerse monita leguntur cap. II., vbi falsis de ratione vitae terrestris, et de fatis hominum post mortem, opinionibus duci (1—5), corporis voluptatem et sensuum oblectationem, veluti rem vnice sibi propositam, appetere (6—9), aliisque, Israëlitis potissimum, et dictis et factis iniuriam inferre (10—20), dicuntur.

Quae quidem veluti sparsa et vage disiecta si collegerimus, quantumuis vocabulorum definitionem, ad logices regulas exactam, nuspiam exhibuerit Noster, hoc tamen, puto, conficitur, eum, quidquid legibus rationis humanae conueniat, inprimisque ex religione proficiscatur, virtutis honestatisque loco posuisse, contra, quae abhorreant a ratione recta, et legibus diuinis aduersentur, improbitatis et prauitatis notione fuisse complexum. Id ipum, spero, luculentius apparebit, si, quae de *virtutibus* et *vitiis singulis* in libro nostro leguntur exposita, conquisiuerimus.

Primarium autem in virtutibus singulis *pietas* locum tuetur, quae, latissime patens, rationem denotat eorum, qui, recta et perspicua veri dei cognitione imbuti, consilia sua, dicta et facta omnia constanter ad eum referunt, spem et fiduciam in eo reponunt, eiusque praeceptis libenter et assidue obsequium praestant. In explicanda vero pietatis notione amplissima non solum vocabulis loquendique formulis, quibus illa proprie et plene exprimitur, vsus est auctor, verum etiam eiusmodi, qui, per se spectati, aut aliud quidquam, aut partem duntaxat notionis eius significant, quae cum maxime spectatur. Huc referenda sunt nomina: ὁσιοτης IX, 3; ἐυσεβεια X, 12. et δικαιοσυνη, *reuerentia dei*, I, 15 (opponuntur τοις δικαιοις v. 16. οἱ ἀσεβεις), XIV, 7 [11]). Id ipsum pietatis studium innuitur formulis: φρονειν περι του κυριου et ζητειν τον κυριον, I, 1; φυλασσειν νομον, VI, 4; πορευεσθαι κατα την βουλην του θεου, IV, 4; φυλασσειν ὁσιως τα ὁσια, *quae praeceptis numinis supremi conueniunt, religiose sectari*, VI, 10; πιστευειν ἐπι τον θεον, XII, 2; ἐπιστασθαι τον θεον, XV, 3. [12]); φθανειν τον ἡλιον ἐπ' ἐυχαριστιαν του θεου, και προς

11) Perperam *Grotius* in Obseruatt ad h. l. την δικαιοσυνην ad *commercia licita* retulit, cui sententiae tamen *Kleukerus* quoque subscripsit.

12) *Baduellus*, *Kleukerus*, *Bauerus*, *Bretschneiderus* (*Syst. Darst. der Dogm. d. Apokr. p.* 98), et alii, verb. ἐπιστασθαι, quod in textu legitur, ad *cognitionem* dei solam retulerunt. Sed quum h. l. respondeat τῳ εἰδεναι, quod, in altero membro obuium (vt alibi το γινωσκειν et hebr. ידע), non de *intellectu* tantum, verum etiam de *sensu* et *animo*, vsurpatur: videtur potius idem esse quod: *curae cordique habere, colere, vene-*

ανατολην Φωτος εντυγχανειν τω θεω, ante solis ortum gratias deo persoluere, primoque diluculo precibus eum adire, XVI, 28 (quae vocabula Essenorum praeceptis et consuetudini conuenienter sunt prolata, cf. *Ioseph. de Bell. Iud. L. II. c.* 12). Ipsi deinde homines, qui in rebus cunctis rationem habent dei, adeoque etiam mores ad legum diuinarum normam componunt, appellantur *οσιοι* IV, 5; *πεποιθοτες επι τω θεω* III, 9 (opponuntur v. 10. *ασεβεις*), et *δικαιοι* II, 12. III, 1. IV, 7. 16[13]). — Contra *impietatis vitium* hisce declaratur verbis et formulis: *πειραζειν τον θεον*, i. e. de perfectione dei summa dubitare et consiliis eius reluctari, I, 2 (quod idem exprimitur verbis *απιστειν τω κυριω*, *diffidere diuinae potentiae, sapientiae, benignitati* etc. *eamque ipsam ob causam obedientiam deo denegare*); *διαβουλια ασεβους*, *consilia hominis impii*, I, 9; *πονηρια* X, 1 (innuitur *idololatria*, ad quam Chaldaei gentesque vicinae erant prolapsae); *λογισμοι ασυνετοι αδικιας* XI, 15 (refer. ad *superstitionem stultam et impiam*, qua

rari: cf. Ps. XXXVI, 11. Hos. VIII, 2. 1 Thess. IV, 5. et alia loca.

13) Obseruandum tamen est hoc, in locis Lib. Sap. longe pluribus vocabulum *δικαιος* ad *Israëlitas, vtpote deo probatos*, pertinere. Sic de Noacho X, 4., de Abrahamo X, 5., de Lotho X, 6., de Iacobo X, 10., de Iosepho X, 13. vsurpatur, et Israëlitae omnes appellantur *δικαιοι* (צדיקים) II, 12. X, 14. 20. XI, 14. XII, 9. XVI, 23. XVIII, 20., interdum etiam *αγαθοι*, *αγιοι* (קדושים), *οσιοι* XVIII, 9., *λαος οσιος και σπερμα αμεμπτον* X, 15. 17., *θεου υιος* XVIII, 13, *παιδες του θεου* XIX, 6. Cf. *Bretschneider.* l. l. p. 333 sqq. et *Leonh. Bertholdt* in *Christologia Iudaeorum Iesu Apostolorumque aetate. Erlang.* 1811. 8. p. 180.

capti tenebantur Aegyptii); τελεται ανοσιοι, *sacra impia*, XII, 4; βδελυγματα XII, 23 (sermo instituitur de flagitiis eiusmodi, quae falsorum numinum cultores admittunt). Ipsi porro homines impii vocantur βλασφημοι, *contumeliosi in deum*, I, 6; ασεβεις I, 16. III, 10. IV, 3. 16. V, 15. X, 6. 20; οι τȣ κυριȣ αποϛαντες, *qui defecerunt a deo* III, 10; εχθροι τȣ κυριȣ, V, 17; et αχαριϛοι, *qui grates deo debitas non persoluunt*, XVI, 29 [14]).

Reliquae autem, quarum noster paucis tantum mentionem fecit, virtutes sunt: *iustitia* I, 1 (δικαιοσυνη), ad quam reges potissimum et principes exhortatus est, VI, 4 (κρινειν ορθως), IX, 3. VIII, 7; — *integritas et simplicitas animi* I, 1 (αγαθοτης και απλοτης καρδιας), qualis tribuitur iis, qui animo sunt non subdolo, ficto, tecto, sed candide agunt et aperte, IX, 3 (ευθυτης ψυχης); — *castitas* III, 13 (quo loco felix praedicatur ἡ αμιαντος, ἡτις ȣκ εγνω κοιτην εν παραπτωματι); III, 15 (vbi vocabula αγαθοι πονοι de *concubitu legitimo* sunt accipienda [15]); — *prudentia*, φρονησις, VIII, 6. 7

14) Ceterum omnino potest moneri, quae inde a Cap. X. ad finem vsque libri leguntur, tantum non omnia numinum commentitiorum cultum spectare, cui Cananaei et Aegyptii erant addicti. Nempe non solum turpitudinem idololatriae summam declarauit auctor, e. c. XIII. XIV, 22 sqq. XV, 12 sq., sed etiam originem eius, mira quidem et insolita ratione, descripsit XIV, 12 sqq. Ipsos autem deorum fictorum auctores et cultores, quorum fere propria est ἡ ασεβεια, insuper appellauit εραϛας κακων XV, 6., κακομοχθȣς XV, 8, αδικȣς XVI, 24., et terram ab ipsis habitatam αδικον γην XVI, 19.

15) Cf. *Bretschneideri Spicileg. Lexic. in interpr. Graec.* sub voc. πονος.

(quam perspicientiam veri solertiamque dixit *Cic. Offic. Lib. I. c.* 5.); — *temperantia*, *σωφροσυνη* (quae in sedatione perturbationum animi omninoque moderatione illa cernitur, quae cauet, ne quid nimis) VIII, 7; — *fortitudo*, *ἀνδρια*, i. e. animi robur et constantia, quae virum maxime decet, VIII, 7; — *humanitatis* denique *et aequitatis studium*, *φιλανθρωπια*, XII, 19. 22. — Quibus virtutibus fere singulis haec opponuntur vitia; primum: *iniustitia* I, 6 (*ἀδικια*), I, 8 (*ἀδικα φθεγγεσθαι*), cui etiam *conuicia* et *calumniae* adnumerantur I, 11 (*καταλαλιαι*), X, 15 (*μωμασθαι*); — deinde *fraudes* et *mendacia* I, 5 (*δολος*), I, 11 (*ϛομα καταψευδομενον*), IV, 11; — tum *impudicitia* et *nefandae libidines* III, 13. X, 7., ad quas *adulterium* III, 16 (*μοιχεια*, *κοιτη παρανομος*), X, 13 (*ἁμαρτια*) et *concubitus illegitimus* IV, 6 (*ὑπνοι ἀνομοι*) refertur; — tum *fastidium* et *iactatio*, diuitiarum maxime, V, 8 (*ὑπερηφανια*, *πλȣτος μετα ἀλαζονειας*) et dominandi potestatis VI, 2; — tum *auaritia*, *πλεονεξια*, X, 11; — porro *veneficia*, *ἐργα φαρμακειων*, XII, 4; — praeterea *caedes infantium* XII, 6 (vbi Canaanitae vocantur *τεκνων φονεις ἀνελεημονες* et *αὐθενται ψυχων ἀβοηθητων*), *malitiosa* omnino *hominum interfectio* XVI, 14., et *epulae e visceribus et sanguine humano paratae* XII, 6; — denique *odium fratricidae* X, 3 (vbi Caino, ad necandum fratrem ira impulso, *ἀδελφοκτονοι θυμοι* tribuuntur).

Ex his, quae, breuiter et strictim nunc dicta, vberius exponere non licet, facili negotio iam colligi posse videtur, qualis, secundum effata libri Sap. in vniuersum sit honestatis virtutisque natura, quibus eam finibus contineri statuerit

auctor, quidque in omni hominum sentiendi agendique consuetudine cauendum, quid fugiendum, quid omittendum docuerit. Ad alia igitur progrediamur.

Cap. II.

De virtutis honestatisque praesidiis.

Si porro quaesiueris, qua tandem via et ratione ex auctoris sententia, efficiatur, vt, quidquid virtutis praeceptis conueniat, sine difficultate praestari, quidquid honestati repugnet, vitari commode possit: collectis iis, quae sparsim ab ipso et obiter potius, quam copiose et consulto disputata leguntur, tria potissimum inuenies, quae huc referri mereantur.

Primo nimirum, quod quidem per se iam intelligitur, et suus quemque sensus et experientia facile docet, hoc vtique requiritur, ut hominum, qui solertia mentis ingeniique acumine sunt conspicui, qni cognitionis amplitudine valent, et rerum multarum, ad vitam moresque pertinentium peritiam habent, non vocem solum percipias, sed etiam, quaecunque ab iis recte et prudenter sint monita, in vsus tuos conuertas. Quare Noster reges et principes, ad quos inprimis in parte libri priore verba fecit, quibusque ad omnem muneris bene et vtiliter gerendi rationem iustitiae honestatisque studium iniunxit, grauiter est cohortatus, vt ad sermones ipsius aures et mentem intenderent, et sic, institutionis ipsius ope et adiumento, recte faciendi facultatem, habitum et consuetudinem sibi compararent; cf. VI, 1. 11.

Idem porro virtutis studium, secundum doctrinam hoc in libro traditam, magno opere iuuabitur, si ad eam, qua deus res regat humanas, rationem sedulo ac diligenter animum aduerteris. Praeterquam enim quod ea ita sit comparata, vt intelligentiam recti et veri, ipsumqne virtutis amorem et studium, facile in pectoribus hominum gignat: hoc adeo consilio ductus rerum mundanarum deus curam gerit benignissimam, factaque et euenta omnia sapientissime moderatur, vt, quae in vita et actionibus humanis recta et iusta sint, homines ipsi clarius in dies perspiciant, et suis actionibus et vita exprimere consuescant. Ad vindictam v. c. ab improbis sumendam Numen supremum ideo tardum se praebet, vt qui iustus esse cupiat, eum et humanitatis aequitatisque studiosum esse oportere, significet; cf. XII, 19. Quum porro poenitentiae locum deus concedit, animum addit et spem bonam facit iis, qui ipsi adhaerent. Quodsi enim in puniendis cultorum suorum hostibus mitis apparet et benignus: quanto maiorem quaeso diligentiam, curam et moderationem iis exhibebit, qui voluntatis ipsius sunt studiosi? XII, 19. 21. Quid quod calamitates etiam et poenas hominibus impiis ea de causa infligat, vt, qui reuereantur ipsum, his rebus edocti, in iudiciis ferendis, benignitatis eius memoriam instaurent; cf. XII, 22.

Attamen vel sic aut nihil omnino, aut certe non id, quod debet, efficietur, nisi *arctissimam cum Sapientia* [16] *societa-*

16) Difficillima, et quae ad liquidum vix perduci posse videatur, profecto est quaestio, qualem, in locis singulis, notionem *Sapientiae*

tem coieris. Huius enim, auctore monente, tanta est vis ac potestas, vt, qui eius non particeps fuerit, licet in suo genere sit perfectissimus, pro nihilo sit habendus, siquidem certa atque accurata diuinae rerum omnium moderationis, imo et voluntatis dei legumque diuinarum, cognitione destituatur, quae in omni virtutis studio fundamenti et principii loco est ponenda. Ad hanc ipsam vero cum Sapientia consuetudinem efficiendam requiritur primo, vt *amore eius et desiderio* capiaris. Quamquam enim vno alteroue loco Noster significauit, Sapientiam ipsam, veluti circumeundo, quaerere et consectari homines eos, qui societate ipsius et familiaritate sint digni V, 16 (*τȣς ἀξιȣς ἀυτης ἀυτη περιερχεται ζητȣσα*), et subinde singulorum intrare mentes, quo redderentur familiares deo et prophetae VII, 27 (*κατα γενεας εις*

vocabulo subiecerit auctor. Quantumuis enim dubitari nequeat, quin sapientia mox tanquam *natura intelligens*, quam *ὑποστασιν* dicunt, ab eo cogitata, mox *facultatum* et *virtutum humanarum* numero fuerit adscripta, ita vt partim ad *intellectum* s. *mentem*, partim ad *animum* hominis et *voluntatem* referatur: interdum tamen hae ipsae notiones inter se tam arcte sunt coniunctae, aut adeo ambigue et obscure expressae, vt vel auctorem ipsum diuersitatem earum neglexisse censeas, vel, quid sibi voluerit, non satis tuto ac certo significari possit. Lectu tamen dignissima sunt, quae exposuit *Keil* in *Commentat. II. de doctoribus veteris eccles.* (*Lips.* 1793.) *p.* 71 *sqq.* Add. *Bretschneider Dogmat. d. Apokr. p.* 191 *sqq.* vbi aliorum etiam, qui super hac re scripserunt, nomina laudata inuenies. Vnum hoc adiicio, quae de hominis cum Sapientia coniunctione a nobis nunc monentur, ad *Sapientiam hypostaticam* esse referenda.

ψυχας μεταβαινεσα φιλες θεε και προφητας κατασκευαζει): alibi tamen, Sapientiam ab iis solummodo, qui amore ipsius ducerentur, facile spectari, VI, 12 (ἐυχερως θεωρειται ὑπο τῶν ἀγαπωντων ἀυτην), et concupiscentibus ipsam vltro se cognoscendam praebere, VI, 13 (φθανει τες ἐπιθυμεντας προγνωθηναι,), diserte et planissime scripsit. Hinc, Salomonis agens personam, semet ipsum a teneris illam adamasse, eamque sponsam ducere studuisse, et eius pulchritudine captum fuisse, professus est VIII, 2. — Hic autem amoris sensus, hocce desiderium, quo fuerit ardentius in pectoribus hominum: eo facilius et certius *Sapientiae potiundae studium* gignet, quod pariter abesse nullo vnquam tempore debet. Sapientia enim nonnisi a quaerentibus ipsam deprehenditur VI, 12 (ἑυρισκεται ὑπο των ζητεντων ἀυτην), quanquam, qui inuigilauerit ei, non diu multumque laborabit, quia quasi foribus suis adsidentem inueniet VI, 14 (coll. VIII, 18., vbi auctor, sub Salomonis persona latens, se operam omnem in id contulisse dixit, vt Sapientiam sibi cooptaret amicam). — Huc denique *preces* accedere debent, quibus imploranda et expetenda est benignitas diuina. Sapientia nimirum, quae facta dei et praeceptorum eius rationem habet perspectam, eique, quum conderet mundum, praesto adfuit, etiam nunc apud ipsum versatur, hominibusque conceditur coelitus a deo demissa IX, 4. 9. 10 (μετα σε ἡ σοφια ἡ ἐιδυια τα ἐργα σε, και παρεσα, ὁτε ἐποιεις τον κοσμον, και ἐπιςαμενη, τι ἀρεςον ἐν ὀφθαλμοις σε, και τι ἐυθες ἐν ἐντολαις σε. Ἐξαποςειλον ἀυτην ἐξ ἁγιων ἐρανων, και ἀπο θρονε δοξης σε πεμψον ἀυτην, ἱνα συμπαρεσα μοι κοπιαση, και γνω τι ἐυαρεςον ἐςι παρα σοι). Vnde

deus ipse vocatur Sapientiae auctor sapientumque moderator VII, 15 (αὐτος και της σοφιας ὁδηγος ἐϛι, και των σοφων διορθωτης). Nec vanam et inutilem precum eiusmodi pietatem esse iudicandam, colligitur inde, quod eidem Sapientiae, cuius maxima dignitas est et praestantia (VIII, 5—8 [17]), bona

17) Pro vulgari ἐργαζεται (v. 6.) post *Grabium* et *Breitingerum* nouissimus editor *Augusti* (pariterque *Bretschneider in d. Dogm. d. Apokr.* p. 241) reponendum curauit ἐραζεται. Cui mutationi licet enunciationum earum, quae initio v. 5, 7 et 8 leguntur, argumentum apprime conueniat: haud tamen admittendam eam puto, quum neque codicum et versionum antiquarum auctoritate confirmata, neque vero etiam ita comparata sit, vt, rem, quae proponitur, clariorem reddat, aut plus ei ponderis addat. In explicandis autem vocabulis singulis, et sententia vniuersa, quae illis inesse videtur, constituenda, variant interpretes. *Baduellus* ἐργαζεται reddidit sic: *agit atque opera efficit*, propterea quod nomen φρονησεως h. l. ad *omnes artes* pertinere, omnemque tum *administrationem rerum ciuilium ac domesticarum*, tum *effectionem molitionemque*, h. e., vt Aristoteles appellat, πραξειν και ποιησιν, comprehendere existimabat; nimis operose, ni fallor, et argute. Magis etiam ab vero aberrarunt *Grotius* et, quem ille consentientem nactus est, *Bendtsen* (in *Specim. exercitatt. criticar. in Veteris Testamenti libros apocryphos etc. Gotting.* 1789. 8. p. 66 *sq.*), qui φρονησιν h. l. idem quod σοφιαν significare, et ad το ἐργαζεται vocab. παντα e versu praec. supplendum esse monuerunt. Facile nimirum apparet, φρονησιν hoc commate et capite a σοφιᾳ distingui. Ad declarandam nempe Sapientiae dignitatem insignem versu 5 cum divitiis, v. 6 cum prudentia (φρονησει), v. 7 cum iustitia, v. 8 cum rerum multarum vsu auctor eam comparauit, et his rebus omnibus multum illam praestare statuit. Accedit, quod σοφια versu 7 φρονησιν docere, et versu 18 φρονησις in commercio σοφιας versari dicitur.

debeantur grauissima, quippe quae temperantiam et prudentiam, iustitiam et fortitudinem doceat (VIII, 7), honesta suggerat consilia (VIII, 9. ἐςι συμβȣλος ἀγαθων), actiones hominum regat prudenter, eosque in virtutis via, splendore ipsius illustrata, contineat (IX, 11. ὁδηγησει με ἐν ταις πραξεσι μȣ σωφρονως, και φυλαξει με ἐν τῃ δοξῃ ἀυτης). Quodsi tamen alibi deus ipse huius illiusue virtutis humanae auctor appellatur, e. c. VIII, 21 (γνȣς δε, ὁτι ȣ̓κ ἀλλως ἐσομαι ἐγκρατης, ἐαν μη ὁ Θεος δῳ etc.): ad arctissimam, quae statuitur, Sapientiae cum deo coniunctionem id videtur referendum.

Cap. III.

De rationibus et causis, cur virtus appetenda sit et sectanda.

Quid denique sit, quod recti bonique amorem et desiderium in animis hominum excitare, eosque ad virtutis exercendae honestatisque seruandae studium impellere possit ac debeat, si quaesiueris; plurima profecto, quae vim habere videantur insignem et saluberrimam, ab auctore lib. Sap. exposita deprehendes, e quorum copia potiora tantum seligamus.

Et primo quidem *virtutis* ipsius tanta est *dignitas* et *praestantia*, vt, quaecunque praeter eam in bonorum numerum referre, magnique facere soleant homines, veluti prolem numerosam (III, 13 sqq.), et vitam longaeuam (IV, 8. 9), longe illa post se relinquat multumque antecellat. Vnde consequitur, vt eam, quippe quae nominis immortalitatem

paret et nemini non adametur (IV, 1 ἀθανασία ἐςὶν ἐν μνήμῃ αὐτῆς, ὅτι καὶ παρὰ θεῷ γινώσκεται καὶ παρὰ ἀνθρώποις), tum praesentem imiteris, tum absentem desideres (IV, 2 παρȣσαν τε μιμȣνται αὐτην, καὶ ποθȣσιν ἀπελθȣσαν). Alia et quidem contraria est *impietatis et vitiositatis natura*, cui qui inseruiant, spe vana decipiuntur (XV, 6. XVI, 29), imo insipientissimi sunt ipsisque infantibus miserabiliores (XV, 14 ἀφρονεςατοι καὶ ταλανες ὑπερ ψυχην νηπιȣ), et prauae conscientiae stimulis agitantur. Est nimirum haec propria hominum improborum sors et conditio, vt, interno veluti iudice condemnati, expauescant, et, quas promeruerint, poenas nunquam non animo praesumant; siquidem auxilii, quod ratio reperire potest humana, spem omnem abiiciunt, et, quae ventura sint, mala longe, quam exspectauerant prius, grauiora opinantur (XVII, 11. 13). Nec quidquam efficies, si ea vsus fueris excusatione, vt vni tantum vitio te adhaerere dixeris, quum ex vnius fonte plurima manent; id quod ex idololatria cognoscitur, quae flagitiis innumeris iisque grauissimis ansam quasi praebuit viamque muniuit (XIV, 22. cf. Rom. I, 22–32). Adde, quod hominum improborum corruptela et pernicies non ad ipsos solum, verum etiam ad coniuges ipsorum et liberos et gentem vniuersam redundat (III, 12. 16 sqq. IV, 3–5).

Aliud, nec minoris momenti, argumentum ex *ea* duxeris, *quae deo eiusque virtutibus debetur, reuerentia.* Nimirum, quum perfectissimam habeat *rerum omnium scientiam*, nihil ipsum omnino, ne sermonum quidem, cupiditatum et consiliorum humanorum peruersitas latet (I, 6 — 10), vnde

cauendam eam esse et fugiendam (v. 11) facile colligitur. — Eiusdem porro dei *vis* et *potentia* est infinita (X, 23 παντα δυνασαι) et ita comparata, vt eam neque effugere neque infringere quisquam possit (XV, 15 την σην χειρα φυγειν αδυνατον εϛι. XI, 21 το μεγαλως ισχυειν παρεϛι σοι παντοτε, και κρατει βραχιονος σε τις αντιϛησεται;). Quam ob causam non dubitaueris, quin ipse, quibuscunque libuisset rebus ac modis, delictorum poenas, quemadmodum ab aliis, ita ab Aegyptiis et Canaanitis repetere potuisset (X, 17—20. XII, 9). — Quum tamen, vtpote *benignissimus*, pernicie hominum non delectetur (I, 13 ϐ τερπεται επ' απωλεια ζωντων): non subito ad vltionem exardescit (XV, 1 συ δε ὁ θεος ἡμων χρηϛος και μακροθυμος), sed magnam in regendis hominibus indulgentiam prodit et mite iudicium exercet (XII, 18 συ δε ἐν ἐπιεικεια κρινεις, και μετα πολλης φειδϐς διοικεις ἡμας). Quid quod peccatis hominum, vt resipiscant, ignoscit, omniumque miseretur (XI, 23 ἐλεεις δε παντας, και παρορας ἁμαρτηματα ἀνθρωπων ἐις μετανοιαν· add. v. 26). Quodsi clementia ipsius et patientia moueri se homines non patiantur: eos, qui delinquunt, sensim paulatimque castigat, et, in mentem eorum reuocans peccatorum memoriam, monet, vt, prauitate relicta, spem et fiduciam in ipso reponant (XII, 2 διο τϐς παραπιπτοντας κατ' ὀλιγον ἐλεγχεις, και ἐν ὁις ἁμαρτανϐσιν ὑπομιμνησκων νϐθετεις, ἱνα ἀπαλλαγεντες της κακιας πιϛευσωσιν ἐπι σε, κυριε). Cuius sententiae veritas exemplis, ex historia Canaanitarum praecipue petitis, confirmatur, quibus, scelerum varii generis et flagitiorum reis, lentum ad iram et patientem eo consilio deus se praebuit, vt hac ipsa

lenitate ac mansuetudine sua ad poenitentiam et emendationem morum eos inuitaret, tametsi non ignorauerit, pessimum fuisse generis ipsorum auctorem, ipsisque insitam esse vitiositatem, neque unquam eorum animos mutatum iri, quippe qui ab antiquissimis inde temporibus exitio fuerint destinati (XII, 3—11)[18]. — Ne quis tamen, deum vitam moresque hominum in nullo discrimine ponere, temere statuat: est vtique *sanctissimus* ille, ideoque impietatem auersatur (XIV, 9 ἐν ισῳ μισητα θεῳ και ὁ ἀσεβων και ἡ ἀσεβεια ἀυτȣ), et vnice delectatur iis, qui, Sapientiae veluti contubernales, quae recta sunt et iusta, sequuntur (VII, 28 ȣδεν γαρ ἀγαπᾳ ὁ θεος, ἐι μη τον σοφιᾳ συνοικȣντα). — Idem denique *iustissimus* peccata hominum grauiter punit, bene autem facta longe remuneratur, id quod pariter historiae monumenta demonstrant. Aegyptii v. c., qui bestias cultu diuino

18) Vocabula ἐμφυτος κακια (v. 10) non ad peccatum originis, quod in scholis vocatur, quodque hominibus omnino adhaeret, esse referenda, sed eam innuere prauitatem, quae, tum a Chamo, Canaanitarum parente, ad eius posteros propagata, tum diuturna peccandi consuetudine contracta, in alteram quasi naturam iis verterat, nexus horum vocabb. cum praecedd. docet. Nec, quae subsequuntur, verba: σπερμα γαρ ἠν κατηραμενον ἀπ᾽ ἀρχης (v. 11) obstant; quibus vnum hoc inest, Canaanitas iam *antiquitus* (non: *ab aeterno*) ad perniciem fuisse destinatos. Etenim dubitari vix potest, quin ad diras imprecationes, *Genes. IX,* 25 commemoratas, auctor respexerit, earumque tantam fuisse vim et efficacitatem putauerit, vt Canaanitae, tanquam proscripti et exilio mulctati, terras suas Israëlitarum populo cedere coacti fuerint.

essent prosequuti, bestiarum multitudinem, deo sic moderante, flagitiorum suorum vltricem experti (XI, 15 sq.), et, quantumuis appeterent cibum, animalium ipsis immissorum deformitate deterriti, famem tolerare coacti sunt (XVI, 1, 4, 9). Iidem tenebrarum caligine, strepitu horrendo spectrisque nocturnis perterriti, et liberorum subita et violenta morte conturbati, nequitiae poenas dederunt, vtpote qui iniustum in homines peregrinos odium exercuissent, eosque asperrime tractassent (XVII, 2—9, 13—21. XVIII, 4, 5, 11—19. XIX, 13—17). Israelitae contra, Iehouam reueriti, vt poenarum hostibus inflictarum grauitatem suo ipsorum sensu metirentur, et praeceptorum diuinorum memoriam retinerent, ad tempus afflicti, tum vero, plus vna vice, mirandum in modum a deo seruati sunt (X, 15, 17, 18. XVI, 2, 4, 6, 10, 11, 20 sq. XIX, 6 sqq. v. 18—22). Similiter homines singuli, Sapientiae nempe cultores, in virtutis mercedem mox periculis et calamitatibus erepti, mox commodorum varii generis participes sunt facti (X, 9 σοφια τȣς θεραπευσαντας αυτην εκ πονων ερρυσατο. Adde, quae de Noacho X, 4, de Abrahamo X, 5, de Lotho X, 6, de Iacobo X, 10—12, de Iosepho X, 13 sq. et de Mose X, 16 tradita leguntur. Eodem referendum est id, quod deus morte praematura nonnunquam homines sibi dilectos molestiis huius vitae et impiorum iniquitati subtraxisse dicatur IV, 13-17). — Maior tamen hominum proborum post corporis mortem erit felicitas. Tantum enim abest, vt ad nihilum redigantur (I, 15 δικαιοσυνη αθανατος εςι· VI, 18 προσοχη νομων βεβαιωσις αφθαρσιας), vt, in tuto collocati a deo (III, 1 δικαιων ψυχαι

ἐν χειρι Θεꙋ· III, 5 δικαιοι εισιν εν ειρηνῃ), praemia virtutis (II, 22 γερας ψυχων αμωμων) exspectent. Nec frustra. Nam a iudice summo explorati, ipsique probati, dignitatem regiam et diadema splendidissimum ab eo accipient (V, 16 ληψονται το βασιλειον της ευπρεπειας και το διαδημα τꙋ καλλꙋς ἐκ χειρος κυριꙋ), et gentibus terrarum orbis imperabunt (III, 8 κρινꙋσιν ἐθνη, και κρατησꙋσι λαων), et cum deo arctissime coniuncti aeterna felicitate fruentur (V, 15 δικαιοι εις τον αιωνα ζωσι, και ἐν κυριῳ ἡ μισθος αυτων). — Improbi vero, licet et ipsi post mortem aliquantisper superstites sint futuri, vt, nec opinata piorum salute attoniti, stultitiae suae et temeritatis poenitentiam agant (V, 2—13), timore, quem vitae ante actae memoria vehementissimum ipsis iniiciet, percussi, coram deo iudice comparebunt (IV, 20), ab eoque damnati in aeternum sunt perituri (I, 12. 16).

Sed haec iam dicta sunto. Restat, vt, muneris ab Amplissimo Philosophorum Ordine nobis demandati officio satisfacturi, id peragamus, quod haec scribendi opportunitatem nobis dedit. Indicenda enim sunt *creandorum et renunciandorum Philosophiae Doctorum et AA. LL. Magistrorum* Solemnia, a. d. XVII. Octobr. h. a. celebranda. Igitur, quicunque, a literarum bonarum praesidiis instructi, summis in Philosophia honoribus ornari exoptauerint, eos inuitatos et

rogatos volo, vt apud me
facto Candidatos tum praese
bus ab ipsis docte conscripti
vel munerum, quibus fung
signes, vel doctrinae specin
curriculo vitae et testimoniis
votorum suorum participes

Dab. in Vniuersitate li
p. Fest. Trinitatis A. R. S. c

apud me nomina sua profiteantur. Quo
ım praesentes, examine et commentationi-
conscriptis spectatos, tum absentes, eosque
ibus funguntur, publicorum grauitate in-
ıae speciminibus ab ipsis exhibitis, porro
estimoniis locupletibus, nobis comprobatos,
participes reddam.

ersitate literarum Vitebergensi, Dom. III.
A. R. S. cIↃIↃCCCXI.